



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

A vent'anni esatti dell'*Historia summorum Pontificum* di Claude Du Molinet, il gesuita Filippo Buonanni dà alle stampe a Roma i *Numismata Pontificum Romanorum*, un ampio catalogo in due tomi dedicato alla serie metallica papale, dal pontificato di Martino V fino a quello di Innocenzo XII, regnante al momento della pubblicazione. Nell'introduzione dell'opera, qui proposta, l'erudito italiano riconosce i debiti nei confronti del predecessore francese, della cui *Praefatio* ricorda puntualmente alcuni passaggi, ma la selezione delle tematiche che sottopone ai lettori tradisce quanto, nell'arco di tempo intercorso tra le due edizioni, non solo si fosse ulteriormente diffuso e consolidato il collezionismo delle medaglie pontificie, ma se ne fosse anche ormai istituzionalizzata la fruizione: l'assimilazione tra medaglie moderne e monete antiche è per Buonanni un dato acquisito, che gli consente di citare l'autorità di celebri antiquari seicenteschi (Patin, Suares) a sostegno di una valorizzazione in chiave erudita dell'oggetto moderno, presentato in quest'opera del 1699 come una testimonianza viva (destinata, al pari dei *numismata* romani e greci, a durare nel tempo) preziosa ed attendibile per conoscere tanto le devozioni cristiane, quanto gli eventi storici che avevano avuto come protagonisti i pontefici, tanto gli edifici sacri innalzati dai papi, quanto i riti e le liturgie della Chiesa di Roma. È sulle valenze informative dei rovesci che si focalizza l'attenzione di Buonanni, per il quale gli aspetti materici e tecnici della produzione metallica pontificia passano in secondo piano: così, se per Du Molinet l'iterazione di analoghi 'tipi' medaglistici da un pontificato all'altro è un fenomeno che deve essere considerato anche alla luce della circolazione di riconiazioni 'arbitrarie' e di medaglie di 'restituzione', da Buonanni questo aspetto della serie viene enfatizzato soprattutto per presentare le medaglie di ciascun papa secondo iterati filoni tematici (cerimonie religiose, eventi politici e bellici, interventi edilizi, devozioni ecc.) e senza seguire un ordine cronologico, così come suggerito negli stessi anni da Louis Jobert ai collezionisti di monete antiche. Scarsa di conseguenze è anche l'attenzione rivolta dal gesuita agli autori delle medaglie papali, ricordati ricorrendo alla lista pubblicata già vent'anni prima da Du Molinet, aggiornata nell'unico nome di Ferdinand de Saint'Urbain. (Lucia Simonato)

Bibliografia: Giovanna De Lorenzi, *Da Filippo Buonanni a Ridolfino Venuti: alcune osservazioni sull'interesse per la medagliistica papale nella prima metà del '700*, in "Accademia Etrusca di Cortona. Annuario", n.s., XIV, 1984, pp. 261-277; Lucia Simonato, *«Impronta di Sua Santità». Urbano VIII e le medaglie*, Pisa, Edizioni della Normale 2008, pp. 134-135.

Lectori, in Filippo Buonanni, *Numismata Pontificum Romanorum quae a tempore Martini V usque ad annum MDCXCIX, vel auctoritate publica vel privato genio, in lucem prodire, explicata ac multiplici eruditione sacra et prophana illustrata*, Roma, ex Typographia Dominici Antonii Herculis 1699, pp. I-VI

[p. I] Ex universa antiquitate, cuius monumenta ad nos pervenere, nullam esse cognitu digniorem ea, quam numismata symbolica referunt, asseruit eruditissimus Carolus Patinus¹, quamobrem tot nobiles viri in re nummaria antiqua peritissimi de hac liberalium disciplinarum parte copiose hactenus disseruerunt et luculentos de numismatum figuris et inscriptionibus commentarios ediderunt. Pauci tamen, vel fere nullus, ea numismata aut illustrarunt aut saltem recensuerunt, quae ad Pontifices Romanos spectant, ex quibus eorum facta ediscere posterì possent sine ullo erroris periculo, imo cum ingenti historiae pontificiae lucro et legentium oblectamento. Sunt enim numismata (ait doctissimus praesul Joseph Maria Suaresius²) «memoriae tabulae adamantinae, gloriae perennis et immortalis charta, inclusumque est in nummis nobile historiarum opus, atque adeo alibi collapsum restituunt numismata et illustrent historiam antiquam». Retulit quidem multa Ciacconius, quamplurima addidit eius

¹ *Introd. ad histor. num.* cap. I

² Cap. 2 *Disser. de num.*



locupletator nostrae Societatis, scriptor p[ater] Augustinus Oldoinus, at nemo ex illis propositorum numismatum aperuit sensum, inscriptionem, seu expressionem abunde explicuit. Quamobrem miratus merito fuit nostri aevi scriptor praeclarus r[everendus] p[ater] Claudius Molinetus, quod ex authorum numero non mediocri, qui laminis aereis effigies numismatum priscorum Caesarum sculpi curarunt easque eruditissimis illustrarunt notis, nec unus quidem etiam Romae quid simile extremis (ut aiunt) digitis in Sedis Apostolicae decus et gratiam attigit. Dum ergo rem indignam prorsus una cum amicis, eodem quo ille accensus desiderio, querebatur, a multis extimulatus, laudem summorum Pontificum eorum nummis contentam ab hominum silentio atque oblivione toto conatu vindicare decrevit; tabulis propterea quotquot numismata congerere potuit impigro studio consignavit, eiusque opus anno 1679 Parisiis editum in lucem prodit.

At cum bona praeclari authoris venia fidenter dicam, multa in tali opere desiderari scitu digniora pleraque insuper a falsitate vindicanda esse, utpote quae a scriptore recensita ex aliorum enarratione, qui non adeo accurate, ut par erat, Romana monumenta perlustrarint, de qua re auctor ipse conqueritur; viro insuper, qui Romam nunquam inviserat et Roma longissime aberat, ubi certe diu commorari necesse erat, ut quidquid scitu et notatu dignum in monumentis, in inscriptionibus, in archivis reconditum est, recognosceret et tabulis fideliter consignaret.

Id circo ab amicis clarissimisque viris impulsus, novum hoc opus aggredi non dubitavi, non quidem tantum mihi tribuens, ut me hic exquisitum aliquid prae caeteris et suis omnibus absolutum numeris prefecturum sperarem, sed tantum, ut mihi Romae degenti bene comperta enunciando, quae procul a multorum oculis submota, meliori ea in re sorte usus patefacerem, ac reliqua pontificia numismata ab eo tempore, quo auctor praefatus scripserat in lucem edita recenserem, et meo qualicumque labore aliorum [p. II] acuerem industriam, qua paulo diligentius incumbant in eadem studia, ac inde non mirificam solum voluptatem ob imagines tot summorum Pontificum, aut exquisitam artificum elegantiam capiant, sed praeterea penum suam doctrinae et eruditionis insigniter locupletandam norint.

Enimvero in antiquioribus numismatibus, tum ab imperatoribus, tum a coloniis, praeclarissimisque viris in lucem editis praeteritorum saeculorum felicem artium peritiam, ingeniorum iudicium, praeclaras ac sagaces enigmatum adinventiones demiramur, discimus insuper quidquid vel Graeca, vel Romana gessit respublica, illud enim spectandum vel legendum exhibent numismata. In eis si bella placent, apparent descripta vexilla, trophea, triumphales currus, arcus, armaturae omnes, clipei, cassides, ancilia etc. Si religio, apparent in nummis Pax, Felicitas, Aeternitas, Pietas, templa, sacrorum ritus, deorum simulachra, arae, vasa, litui et funerum varietas. Visuntur fasces, ludi saeculares, theatra, diademata, tiarae, quidquid tandem de veteribus celebrari potuit aut ignorari non decet, in aeternis numismatum tabulis asservatur.

At non minora sunt pontificia numismata eruditionis argumenta, quae vetustiora passim suppeditant, virisque literatis coniecturarum praebent occasiones, in quibus saepe Oedipo indigeant, qui obscura pandat oracula, et ad aevi quo formata sunt historiam conducant ab iisque lumen scriptoribus accenditur, eorum denique notitia minime contemnenda videri deberet, tametsi aliam in se non contineret utilitatem, quam quod ex iis agnoscere possimus quorum sint monumenta et a quibus cusa vel formata, quae manibus versamur numismata, et characterum in aversa eorum facie vim vel percipere vel saltem investigare; quandoquidem nihil frustra in iis positum vel effectum licet arbitrari. Licebit etiam male formatos et cusos nummos intueri, quos licet in obsequium pontificium aliquis civis ediderit, barbaras aliquando vel ineptas addidit inscriptiones; licebit etiam adulterinos a veris distinguere, quos, vel inscitia opificum vel audax lucri sitis efformavit. Omnes enim quot quot in publicis museis aut domesticis cimeliis reperire potui expressos ad hunc finem referam, haud inutilem fore operam arbitratus, si quoquomodo posteriorum curiositati obsecundarem, eorumque laborem, quantum in me erit, sublevarem. Quo enim longius a fonte rivi decurrunt, eo minus perspicuas aquas habent.



Sed neque rem nummariam, quae ad Pontifices Romanos spectat tractare constituimus; maius opus est, quam ut illud suscipere nobis per vires liceat, sed iis relictis nummis, quorum in commerciis usus est monetarum vim habentibus, eos seligimus, quos «medallias» appellat inter eruditos Scaliger³, quam vocem esse Arabicam putat, quod etiam nunc Arabes Christianorum monetas nuncupant «methalias», quibus caput alicuius principis aut imago alias praefertur; sed de vocis huius aethimologia examen omittimus, illam luculenter exposuit d[ominus] Du Fresne in appendice ad *Glosarium [sic] vocum mediae et infimae latinitatis*, et Patinus *Historiae numismatum* cap. 5.

Numismata ergo illa recensebimus, quae numquam in censum monetae venerunt, sed quae gloriosis Pontificum Romanorum actionibus immortale decus characterem suo conciliant in cimeliarchis asservata; fateor tamen in [p. III] proposita huiusmodi numismatum congerie pauca aliqua numerari, quae aliquando usum pecuniae obtinuerunt, nec omittenda esse illa duxi, in quibus insignis alicuius rei monumentum extabat; namque apud priscos etiam quamplurima fuisse Patinus refert, quae pecuniarum loco habita fuerint, neque nomen illud suum aliunde quam ab antiquitate mutuata, adeo ut numisma nihil sit iam aliud, quam nummus antiquus. Sane illud praeteriri silentio non debet, quod Cassidorus docet his verbis, «ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur monetamque facis de nostris temporibus futura secula commonere. O magna inventa prudentum! O laudabilia instituta maiorum ut et imago principum subiectos videret, pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum!». Insuper ut viri illustres ex numismatis decus et famam aucupantur, ita sperabant vicissim fore, ut ipsa numismata ex imaginibus impressis immortalitate essent donanda, cum nullus sit secuturis saeculis heroum historias lecturus, qui non pariter eorundem nummos, vel ob solam antiquitatem in pretio esset habiturus, quo nomine sane numismata nobis vel maxime commendantur.

His adde quod ex Urbani VIII, eruditissimi Pontificis, numismatibus praesertim ediscimus, multa ab eo cusa, quae monetarum usum haberent, multaque pariter in rei alicuius perenne monumentum simili eiusdem expressione insignita, iisdemque omnino inscriptionibus condecorata. In utraque etiam numismatum classe (ut notat Lukius) alia sunt votiva, castrensia, irenica, triumphalia, auspicalia, memoriae dicata, seu memorialia, feralia, lugubria, socialia, typica, gratulatoria, iconica, monitoria, honoraria, obsidionalia, castrensia [sic], militaria, missilia, quae in vulgus sparguntur, atque omnia antiquitatis praerogativam ac dignitatem sua obtinent duratione, ideo nummos immortalitatis studium et cura invenit, sicut sepulchrorum monumenta et elogia.

Intellexere hoc quicumque propagandi ad posteros nominis immensa quadam cupiditate flagrarunt, atque vultus suos, aut res gestas non solum libris, columnis, saxis, tabulis, statuis consignari voluerunt, sed nummis, ut certiori quodam aeternitatis pignore se, suaque oblivione liberarent, quam sane mentem manifeste aperit ducis illius Graeci facinus ab Athenaeo relatam, qui cum numismata curasset spargi ad perpetuam memoriam in campis ac ruinis Corinthi, tum demum mori non dubitavit.

Sola quippe opera in multorum gloriam incisa, vel erecta, praeclara licet fuerint et diuturna; iniuria tamen temporum post brevem annorum circumscriptionem fuerunt penitus deleta, «et tamen illis omnibus», ait Tertullianus in *Apologetico*, «et statuas funditis et imagines inscribitis et titulos inciditis in aeternitatem».

Quis autem adeo illiteratus aut nescit aut non ingemiscit librorum veterum non satis unquam lugendam iacturam? Unde Romanarum rerum scriptor Livius deplorabat, si quae in commentariis Pontificum (scilicet ethnicorum) aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensa Urbe pleraque interiisse. Ita statuae lapideae licet praestantiores materia, propitio fato saeculorum vim eluisse videantur; attamen manca sunt et mutila fere [p. IV] omnia, quae supersunt monumenta, sive statuae sint sive lapides, quibus inscripta sunt veterum elogia, ut iure dicendum sit illud poetae: «tabula consumit ferrum, lapidesque vetustas», aut alterum «miramur periisse homines, monumenta fatiscunt, |

³ Ad Euseb. Gothof. ad cod. Theod.



mors etiam saxis nominibusque venit». Multo minus picturae temporis edacitatem effugiunt, contra quam longe adhuc minus habent praesidii. Incredibilem etiam numismatum multitudinem carie quoque consumptam fateri debemus. Illa tamen integra magis magisque incorrupta et materiae beneficio et numero et varietate longe antecellunt, si cum caeteris veteribus monumentis conferantur, semper in dies tum in Europa tum in Asia e terrae visceribus eruuntur, ut priscorum memoria, etsi in multis deperdita, in novis repertis videatur quodammodo reviviscere, multaque egregia eorum facinora, quae in caeteris monumentis penitus deperiere, in numismatis palam fiunt, in quibus longe certius et faelicus historiae veritatem indagare fas est eamque nancisci.

Si in antiquis mirae species arborum, animalium genera incognita detecta sunt, herbarum, florum, aliarumque rerum naturalium mirabiles formae, incognitae leges et senatusconsulta, deorum veterum imagines, sacrificiorum apparatus, ludorum, bellorum, triumphorum, tripodes, arae, litui, congiaria, tesserae, coloniae, provinciae, urbium initia, aliaque innumerabilia, de quibus liberalem et honestissimam voluptatem artes innumerae perceperunt, non minus pontificia numismata hoc praetio aestimanda erunt. Quippe iis et facta egregia indicantur, inter quae sanctorum apotheoses, sacra bella in hostes Christiani nominis suscepta, in publicum bonum legationes, foedera inter principes regesque maximos conciliata, ritus Ecclesiae varii, sacra indumenta expressa, erga imagines sanctorum cultus, templorum erectiones et quid quid in publicum bonum providi pastores peregerunt, quae omnia non sine oblectamento et utilitate animorum recenseri possunt, imo debent antequam numismata ipsa temporum edacitate posterorum oculis subtrahantur. His adde inscriptiones quamplurimas marmoribus vel metallo incisas, quae carie consumuntur penitusque delentur.

Non enim desunt qui pretiosi metalli, ex quo conflata sunt, avidissimi ipsa numismata destruunt, simulque monumenta delendo in iisdem reposita irreparabilem iacturam pariunt, iis quidem deteriores, qui omnem hanc operam in coacervandis vel excutiendis id genus monumentis positam, ut inanem aut etiam importunam longe a se abesse patiuntur, vel iis qui vel usu vel opportunitate ad haec eadem monumenta pertractanda destituti, non contemptu sed mera ignorantia reconditae in iis utilitatis, in sequiorem sententiam de illis, eorumque aestimatoribus adducuntur. Sanius alii ab aliis discrepant, qui incredibili illorum studio incensi, ac proinde in colligendis iis assidui, nulli nec sumptui nec diligentiae parcunt, ut luculentum illorum vel numerum vel delectum instituant, unde postea aurum suum adservant, imo eorum possessione non secus ac ingentis thesauri custodia continuo efferre se se solent et oblectare, sed eadem ad ornamentum [p. V] veteris elegantiae et varietatem quamdam literarum aliquo usu edocti plurimum conferre non diffitentur.

His igitur viris numismata haec pontificia proponam, ut praeclaram antiquitatis partem ab interitu et ludibrio pro meo modulo vindicem, quamquam haud me in eorum numerum referendum putem, qui eruditione aliqua praediti de huiuscemodi re apte differere possent. Scio quidem Domitii Pisonis documentum aientis, volumina, quae publica donantur luce, «thesaurus esse oportere, non libros», cogito insuper, «quam sit magnum dare aliquid in manus hominum», id quod Plinius⁴ frequenter usurpabat. At manifestum pariter est quod apud omnes probatur, nullum adeo praeclarum, omnibusque absolutum numeris inveniri inter homines posse, cuius viribus veritas (ut cum Seneca loquar) «occupari penitus possit, multumque ex illa etiam futuris saeculis semper relinquere». Scriptoris tenuitatem materia ipsa supplebit, et operis defectus suo pretio proposita numismata compensabunt. Sed antequam opus aggrediar aliqua animadvertenda esse perpauca proponam, et primo, fidelissime omnia ea fuisse delineata, singula enim (paucissimis exceptis) attente recognovi, quae mihi suppeditarunt principes et viri summae amplitudinis nec minoris humanitatis, in quorum cimeliis et museis asservantur Florentiae, Neapoli, Bononiae, Parmae et Romae praecipue, ubi fere omnia illa edita fuerunt.

Secundo cuncta sub uno eodemque modulo fuisse expressa; sequutus enim sum praeclaros

⁴ Plin. Iun. lib. 7



scriptores, ut quid quid in parva amplitudine excusum numismata minora praeferebant, in amplitudine maiori facilius recognosceretur adamussim delineatum. Eo modo post illustrissimum praesulem Antonium Augustinum, archiepiscopum Tarraconensem, antiqua Caesarum numismata vulgavit et in sexaginta et octo aeneis laminis incisa ab insigni artifice Jacobo Bieo Antverpiano princeps Carolus, dux Croy et Arschotani, magnis impensis undique conquisita, aliique permulti tali forma expresserunt. Neque refert, quod numismatum formae suis explicationibus insertae non sint, quando numerus adiectus singula eorum repandit et in accurato indice, quem in fine operis referemus, omnia possint eiusdem numeri beneficio recognosci, cuiusnam formae sint, quo tempore vulgata, apud quem, quove ex metallo formata servantur.

Tertio notum sit lectori pluribus in locis tabulas hasce a Bieo incisas me indicasse sub nomine Augustini Tarraconensis episcopi, deceptum a *Dialogis* eiusdem Augustini cum dictis tabulis in lucem emissis et a p[atre] Andrea Scotto Soc[ietatis] nostrae latino idiomate redditis.

Quarto multores in lucubratione numismatum a me recenseri permulta a Pontificibus acta post quam ipsa numismata in lucem prodierint, non quidem ut probem in monumentum earum actionum vulgata fuisse, sed ut dicta confirmem et elogium in inscriptione comprehensum magis explicem, clariusque virtus Pontificis elucescat.

Demum numismata ita insculpta et expressa, ut non sint aetate et anno pontificatus ex ordine disposita, unum quod in primis optandum erat et futurum operi congruum; contigit enim, ut non eodem simul tempore omnia numismata delineare potuerim, sed quaedam serius, et haec non suo [p. VI] quidem, sed praepostero ordine fuerunt distribuenda ac collocanda. His adde, non omnia numismata, praesertim antiquiora insignita esse temporis nota, qua vel annus Domini vel Pontificatus indicaretur.

Authores seu sculptores numismatum non semper detego, cum eorum nomina ex paucis innotescant. Asserit p[ater] Molinettus in sua *Praefatione* sub Eugenio IV, Nicolao V, Calisto III et Pio II multa efformasse Andream Cremonensem; Victorem Camelium aliqua sub Sixto IV; Raphaellem postea Urbinatem, Iulium Romanum et alios, qui Leonis X, Clementis VII, Pauli III aevo claruerunt. Fuerunt et deinde egregii artifices Paduani Ioannes Cavinus et Alexander Bassiranus, ac Laurentius et Franciscus Parmenses, qui artem in memoriam Iulii III, Pauli IV, Pii IV et V, et Gregorii XIII faeliciter contulere, verum et exinde ad haec usque tempora florere non pauci, qui in honorem summorum Pontificum in opere caelaturae certatim studuerunt, scilicet: Nicolaus Bonis sub Sixto V et Gregorio XIV; Paulo V et Clemente VIII Georgius Ran, et Ioannes Antonius Moro Paulo V et Gregorio XV; Urbano VIII, Innocentio X et Alexandro VII Gaspar Mola et Cormannus; Clemente IX et X eques Hieronymus Lucenti; Clemente X et Innocentio XI Ioannes Ameranus; Innocentio XII etiam Ferdinandus a S. Urbain.

Utrum autem in exponendis numismatis genuinum sensum incriptionis adeptus sum et res indicatas bene explicuerim, tuum erit lector aequissime iudicare. Non enim nego, quod in dubiis aut obscuris nonnunquam coniecturis usus sim, semper tamen rem in medio ab aliis iudicandam reliquens. Sunt nonnulla numismata, quorum sensum detegi nullo pacto potest, utpote quae nullam epigraphem habent, qua via ad veritatem demonstratur.

Opus demum prodam non quidem ex omni parte quantum satis esset limatum, licet industria et labore non modico confertum, si quos in eo benigne lector deprehendas errores excusa. Si quid animadverteris et cum aliqua industriae laude coniunctum iudices, id, quoniam divini muneris totum est, Deo adscribe. Ego vero Dei opt[imi] max[imi] fretus ope rem ipsam aggredior, non tam perficiendi spe quam tentandi voluntate.



Fondazione Memofonte onlus
Studio per l'elaborazione informatica delle fonti storico-artistiche

